

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0619

0617

0623

0613

0628

0608

0668

0568

0718

0518

1118

0118

Ende

Anfang

montes Arabiae minoris pertransit, in campum Jericho pervenit et ibi faucibus maris mortui illabatur et ab eo excipitur. Sunt autem ab eo loco, quo de mari Galilaeae egreditur, ad locum usque, ubi mare mortuum ingreditur, VIII dietae. Ipsum autem mare mortuum habet in longitudine quinque dietas, et conjungitur hoc mare cum aquis, quae Exodi XV vocantur aquae Marath, et aquae Marath mari rubro copulantur. Mare vero rubrum continuatur cum mari Indico, quod affluit de oceano. Et hic est decursus Jordanis et suo principio usque ad finem longus valde.

De qualitatibus Jordanis.

Jordanis qualis sit videre jam oportet. Fluvius ille sanctus non est multum latus, vix enim habet LX passus in latum, et licet sit parvus latitudine, est tamen profundus valde, signanter tamen in loco nostrae balneationis, fundum habet arenosum et littora lutosa, pro tempore crescit et decrescit, praecipue tamen tempore messis tritici intumescit, hoc est, vernali tempore, quia in Palaestinae partibus illo tempore triticum maturescere solet, ut habetur Josuae 3. Quamquam adeo redundat, quod extra alveum suum per campos se diffundat, quia multa et flumina et torrentes in eum labuntur, ut est Jaboth, fluvius, ultra quem luctabatur Jacob cum angelo. Habet ergo alveum satis profundum, et alta littora. Aquae ejus dulces sunt et ad potandum habiles, potissime in hieme tempore frigido, in aestate sunt nimis tepidae, turbidas habet aquas, nescio si semper sic sint, piscibus bonis et dulcibus abundat. Cursum non habet impetuosum, sed cum silentio venit. Veruntamen transnatans sentit in medio ejus impetum contravenientis aquae.

Ab ortu suo hoc a Caesarea Philippi usque ad finem maris mortui fere per centum milliaria habet ab utraque parte latos campos, qui altis montibus terminantur. Solitudines sunt juxta Jordanem, ut habetur etiam Esaiiae 12., in quibus erant olim multa monasteria et religiosorum habitacula, quorum hodie cernuntur ruinae. In solitudinibus et campestribus Jordanis currunt multae silvestres ferae, et tempore serotino